

Chrysostomo ut videtur, quae Deo dicata sunt, et quae diris devota, partim conveniunt, quod ab utrisque manus quisque suas continere debeat, partim autem differunt, quod ab illis abstinendum est, quia Deo sacra, ab his quia eidem invisata sunt. Quod idem et Justinus scribit martyr in quaestione orthodoxa vicesima prima supra centesimam. Hieronymus autem, quem in hoc sequar libentius, Paulum affirmat ei nomini istam significationem dedisse, non ex uso graeci sermonis, sed secundum proprietatem hebraicam. Nam Hieronymo, ut opinor graeco loquendi more, ἀνάθημα, et ἀνάθημα donarium Deo dicatum significat. Sed quod vel alterum, vel utrumque etiam pro diris devoto ponitur, id illi de hebraica consuetudine ductum videtur. Hebraeis enim vocabulum הָרָם significat et quod cultus gratia Deo dicatur, et in templo suspenditur, et quod ob eam causam occiditur, et absimitur, quia Deo ingratum, et invisum est. Utrumque e sacris Litteris constat, de primo in Levitico dicitur, לְהָרָם (1), id est, omne donarium quod quis consecraverit Domino. De secundo in libro Josue sic scribitur (2): «Ne forte ponatis castra Israel הָרָם», id est, ne illis interitum et perniciem creetis. Paulus ergo, ut est arbitratus Hieronymus, quia uno hebraico הָרָם, illa duo significantur, graeco ἀνάθημα, quod illis donarium solum est, usus est pro hebraeo, ut non solum donarium, sed et quod diris est devotum significet. Atque haec de anathema.

Ejus autem, quod esse praeter Evangelium Paulus dicit, difficilior explicatio est. Est enim valde obscurum ad intelligendum, quae dicatur praeter Evangelium doctrina. Nam si quidquid de novo affertur, quod in sacris Litteris comprehensum non est, id praeter Evangelium esse dicitur, omnis ecclesiastica traditio interibit, omnes leges pontificiae, omnia conciliorum decreta, id quod nostrae aetatis haeretici studiose contendunt. Itaque ex isto loco

(1) Levi. xxvii. (2) Josu. ii et vi.

argumento ducto in omnes traditiones non scriptas acriter invehuntur, easque uti commentitias res, et adulteratrices Christianae doctrinae rejiciunt, praeter Evangelium eas omnes esse constare dicunt. Sed certe male illi in hoc loco, uti et in plerisque aliis verborum Pauli sensum intelligunt. Nam Paulus non damnat traditiones Ecclesiae, neque praeter Evangelium esse intelligit, quod ad plenioram Evangelicae observantiam legis Episcopi atque Pontifices observari praecipiunt: sed id praeter Evangelium esse censet, quod repugnat Evangelio quovis modo, ejusque sanctae libertati: itaque illud, praeter, idem valet Paulo quod contra. Nam valere constat primum concordia sententia veterum Patrum, sic hunc Pauli locum interpretantium. Sic enim Ambrosius id interpretatur, sic Chrysostomus, Theodoretus, Œcumenius, Anselmus, ac Thomas, sic Augustinus, qui sermone nonagesimo octavo super Joannem scribit: «Non dixit Apostolus, si quis vobis Evangelizaverit, plus quam accepistis, sed praeterquam quod accepistis. Nam si illud diceret sibi ipse praejudicaret, qui cupiebat venire ad Thessalonicenses, ut suppleret, quae illorum fidei defuerunt: sed qui supplet, quod minus erat, addit, non quod inerat tollit». Deinde e subjecta re et ex orationis atque argumenti circumstantiis idem colligitur. Nam in quos quaeso hic Paulus invehitur? nonne in eos, qui Galatas inducebant in legem, quod dicerent paruisse Evangelio ad salutem animae non sufficere? Atqui haec doctrina Evangelio adversatur. Quae adversantur ergo traditae a se doctrinae condemnat, eaque praeter Evangelium esse dicit, id est, contra Evangelium. Quod si quis dixerit illud παρα, quo Paulus usus est, non significare contra, ex quo fieri, ut aut Paulus imperite loquutus fuerit, aut nos impie vim ipsius afferamus scriptis, dici sane debet παρα Graecis saepe significare contra, quod ex Xenophontis atque Theophilacti constat scriptis. Sic παρα νόμον Graeci dicunt, et παρα φύσιν, quod vel ipse Cicero contra

naturam vertit, et *παρ' ο' περιουσι*, id est, contra quam natura comparatum est. Nec solum graecum *παρ'*, sed etiam latinum *praeter*, saepe contra significat optimis latinae linguae scriptoribus. Plautus in Mercatore:

*Omnia mihi hodie eveniunt praeter sententiam.*

Id est, contra quam volo.

Et in Andria Terentius:

*...Ut praeter civium  
Morem, atque legem, et sui voluntatem patris,  
Tamen hanc habere studeat, cum summo probro.*

Praeter morem, id est, contra morem, praeter voluntatem, id est, contra voluntatem, ut est auctor Donatus. Et idem, praeter opinionem, dicit in Heccyra, et in *ελευτηριω-ρουμινου*, praeter aetatem, pro contra opinionem, et aetatem eodem Donato auctore et interprete. At cur-ambigui usus atque significationis voce Paulus uti voluit, cum aliae apertiores suppetent? ut, quo mollior est hujus vocis significatio atque vis, eo magis coereret licentiam eorum, qui in doctrina fidei novare aliquid conarentur, hoc est, ut nihil eorum, quae Evangelicae veritati quovis adversarentur modo, non comprehenderet: et, ut dicit Chrysostomus, quo doceret non solum anathema esse qui, quae Evangelio aperte contraria essent, palam tradit, sed, et qui id labefactare conatur, quamvis occulte, atque tecte: non solum qui ejus universam doctrinam evertit, sed qui quamvis minimam ejus partem immutat. Sequitur:

6.—**Modo enim hominibus suadeo, an Deo? an quaero hominibus placere? Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem.**

Perobscurus locus, et varie a variis expositus: nos itaque omnes omnium (1). Erasmus sic vertit: Num homines suadeo, an Deum; explanat autem sic: Num suadeo, aut doceo humana, an potius ea, quae divinitus mihi tradita sunt? Sed id et duriusculum est, et parum cum superiori sententia cohaerens. Cajetano, suadeo, hic est confido. Nam et *πειθειν* confidere est, ut in Matthaei illo, *πειθειν επιτω θεω*: ergo, inquit docet Paulus qua ipse se fisus angelos anathema dicat, Deo enim confidebat, qui ipsi eam potestatem dederat, ut ne angelis quidem cederet in negotio Evangelii. Sed hanc explanationem Graeca non admittunt. Nam *πειθω* pro confido semper dativo jungitur, hic autem jungitur accusativo, *ανθρωπους*, inquit, *πειθω, η τον θεον*. Divus Augustinus novam et ipse viam ingreditur a nullo ante tentatam. Non enim putat haec per interrogationem dici, sed per affirmationem: affirmat enim Paulus, ut ipse censeat, se non Deo, sed hominibus suadere. «Nam, inquit, nemo Deo suadere potest, quia manifesta sunt illi omnia, sed hominibus ille bene suadet, qui non se illis placere vult, sed ipsam, quam suadet veritatem, quale est quod idem Apostolus ad Corinthios scribit (2): Hominibus suademus, Deo manifesti sumus»; sed haec male cum superioribus. Itaque ea nemo alius praeter Augustinum. Chrysostomus, suadeo, accepit, quasi si esset forense verbum, pro causam apud judices ago, hoc sensu: An ego causam ago apud homines, ut quidam alius Demosthenes, an potius apud Christi tribunal? Certe ut si apud Christi tribunal age-

(1) Id est, omnium proferemus expositiones.—*PP. Aug.*

(2) II Cor. v.

rem, ita dico, illi uni probare meam causam studeo, uni veritati servio, hominum gratiam, aut approbationem nihil moror. Non enim studeo hominibus placere. Alii sic, modo suadeo hominibus, an Deo? id est, num instituti mei est ista dicere hominibus, id est, hominum honoris causa, hoc est, ut hominis alicujus honori atque dignitati serviam, an potius ut Dei gloriam quaeram? certe ut quaeram gloriam Dei. Nam haec dicens, causam reddit, quare tam aspere in eos, qui secus atque ipse docuit aliquid docuerint, invehitur, neminem excipiens, nullius personae rationem habens. Quasi planius ita dixisset. Nec vero me quisquam miretur quod universos diris devoverim, quod nullius indignationem metuens cunctos execratus sim; nam mei propositi non est suadere, id est, in assensum fidei mea oratione quemquam inducere eo fine ut alicui hominum gratum faciam, sed ut Dei atque Christi gloriam illustrem. Alii minori ambitu rem expediunt, quorum ego interpretationem, quod caeteris simplicior sit, magis probo. Accipiunt enim suadere pro placere, blandiri ad gratiam loqui: quod et graecum *πειθω* saepe significat. Rogat ergo Galatas Paulus, num cum ista scribit, cumque tanta libertate Evangelii causam agit, existimari possit hominibus placere velle, an potius Deo gratum facere cupere: idque rogat ut adulationis, ac vafriciei suspicionem a se amoveat, in quam ipsum illi vocabant doctores, dicentes ad gratiam hominum cuncta loqui, seque et orationem ac doctrinam suam vertere ad ingenia et voluntates multorum: itaque eundem ipsum, et Galatis noluisse imponere onus legis servandae, quo illis placeret, et apud Judaeos, quo item illis gratum faceret, legem servari oportere dicere. Quare Paulus cum tam acriter invectus esset in eos, qui contra atque ipse docuisset, quidquam docerent, ex eo idoneum argumentum arripiens ad removendum a se assentationis suspicionem istam, et ad aperte ostendendum quam ea res a se aliena esset, id sedulo urget; itaque ait: Num igitur, qui

ista dicam, quique ea cum dico, Judaeorum in me odia acerbissima concitem, hominibus gratificari velle videor, aut gratiam ab aliquo inire? Ideoque subdit: AN QUAERO HOMINIBUS PLACERE? id est, an vobis nunc videor hominibus placere cupere? hoc certe meo facto palam efficitur me nullius hominis gratiam quaerere. Nam, inquit, SI HOMINIBUS PLACEREM CHRISTI SERVUS NOS ESSEM. Id est, si hominibus placere cuperem, idque esset mihi in vita propositum, ut hominum favorem quacumque ratione possem colligerem, nunquam Christi servus esse vellem, nunquam ejus fidem, atque doctrinam sequerer, hoc est, nunquam Judaismum desererem. Mallem enim Judaeis, quam vobis placere, id est, meis, quam alienis; multis, quam paucis; iis quibuscum vivebam, quam iis, quos nec de facie quidem noveram; iis apud quos repositas habebam vitae copiosae, et tranquillae degendae omnes spes, quam iis, quorum causa in maximis rerum difficultatibus constitutus, et undique a malis obsessus, vitam sollicitam et aerumnosam sustineo. Sequitur:

7.—Notum enim vobis facio fratres Evangelium, quod Evangelizatum est a me, quia non est secundum hominem, neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, sed per revelationem Jesu Christi.

Initio diximus quadripartitam esse hujus Epistolae rationem, et in prima ejus parte Paulum suam auctoritatem et doctrinam, cui multum illi Galatarum doctores detrahebant, ab injuria diligenter asserere: ea igitur de re nunc dicere instituit: NOTUM ENIM VOBIS FACIO. Loco *enim*, Graecis est *autem*, quod hic recte conveniat, nam novum argumentum, novamque narrationem aggreditur. Quamquam et ipsum ENIM, non male quadrabit (1): nam,

(1) Gloss. ordin. et interlin.

ut quidam dicunt, reddit Paulus causam, quare nolit in annuntiando Evangelio hominum servire voluntati, hoc est, nolit doctrinam suam flectere et accommodare ad singulorum libidines; quia nimirum, non ipse illam de suo confinxit capite, ut eam suo arbitratu fingere valeret, atque refingere, aut plane immutare, sed accepit per revelationem a Deo (1): vel certe, ut alii quidam censuerunt, reddit rationem, quare veritus non fuerit anathemate percutere omnes contra sentientes, quippe a Deo accepit quod tradit: NOTUM, inquit, VOBIS FACIO, FRATRES, EVANGELIUM, QUOD EVANGELIZATUM EST A ME. Alia est Evangelii doctrina, alia annuntiandi Evangelii potestas ea, quae Apostolico munere continetur. Principio affirmavit potestatem docendi, id est, munus Apostolicum a Deo et non ab hominibus accepisse se. Nunc idem affirmat de ea doctrina, quam docet, sibi eam ab uno Christo esse traditam: NON ENIM, inquit, EST SECUNDUM HOMINEM. Id quiddam sic non est hominum inventum, aut humano ingenio excogitatum aliquid, ut aut falsi in eo quidquam sit, aut de eo dubitare quis possit, quin sit verum.

Sed alii rectius (2): Non est secundum hominem; id est, non est mihi ab homine traditum, nemo hominum me docuit Evangelium, quomodo ego vos ipsum doceo, sed ejus doctrinae unum Christum doctorem habui (3). Id enim sic intelligi debet, quae sequuntur declarant: ea autem sunt: NEQUE ENIM EGO AB HOMINE ACCEPI ILLUD, NEQUE DIDICI. Et certe non objiciebatur Paulo, quod quae ipse sibi confinxisset, Galatas docuisset, sed quod docuisset, quae ab hominibus acceperat non satis in Evangelii doctrina versatis, cum Apostoli reliqui id a Christo accepissent. Quare non est sollicitus Paulus docere, de quo dubitabat nemo, se non confinxisse Evangelium, sed studet palam facere se

(1) D. Thom. et Caj. (2) Augu. et D. Tho. Chrysos. Theodor.

(3) Ecum. et Caj.

habuisse eundem magistrum in Evangelio, quem alii Apostoli habuissent. Unde ait: NEQUE EGO AB HOMINE ACCEPI ILLUD, NEQUE DIDICI, SED PER REVELATIONEM JESU CHRISTI. Sed utrum ista duo *accepi* et *didici* posuit pro eodem? Quidam prius referunt ad potestatem annuntiandi Evangelium: posterius ad cognitionem Evangelicae doctrinae pertinere dicunt (1). Quasi dicat: Non accepi Evangelium, id est, potestatem ipsum annuntiandi ab homine, sed a Christo, ut in Actis Apostolicis legitur (2): Non etiam didici ipsum, id est, doctrinam ejus ab homine. At Hieronymus rectius, ut mihi quidem videtur, ista distinguit. Inter accipere et discere, hoc, inquit, interest, quod accipit Evangelium, cui primum insinuatur, et ad fidem ejus adducitur, ut credat vera esse, quae scripta sunt; discit autem is, qui ea, quae in illo per parabolas, et aenigmata figurata sunt, explanata, et diserta cognoscit. Haec porro sic accipi hoc loco, Cajetanus, ut est acutus, recte, quantum ego judico, ex eo probat, quod illis duobus, non accepi, non didici, id unum opponit Paulus, quod sequitur.

SED PER REVELATIONEM JESU CHRISTI. Nam revelatio ad illustrationem mentis solum, et ad animi cognitionem pertinet: ex quo fit consequens illa duo, non accepi, non didici, ad cognitionem ambo esse referenda: ut Paulus dicat se neque quod attinet ad simplicem cognitionem rerum gestarum accepisse, neque quod pertinet ad cognitionem mysteriorum difficilium didicisse Evangelium ab homine: sed utrumque Christum ipsi revelasse, et res quas gessit, quasque docuit, et mysteria in eis latentia rebus. Itaque et in fide, et in Theologia edoctus a Christo fuit. SED PER REVELATIONEM, inquit, JESU CHRISTI. Hieronymus hic advertit *αποκαλύψεως* vocabulum Graecis inusitatum, et ignotum, a septuaginta Interpretibus, qui Graece de Hebraeo vetus Testamentum transtulerunt, fuisse confictum, quo vocis

(1) S. Thom. Anselm. Gloss. interlin. (2) Act. ix.

hebraice גלה significationem melius exprimerent. Id quam recte observatum sit, alii judicabunt: ego et Plutarchum et Isocratem verbo αποκλιπτειν usos invenio, pro eo quod est detegere, et detracto velamine aliquid aperte dicere, et quod ignotum erat notum facere. Sequitur.

**8.—Audistis enim conversationem meam aliquando in Judaismo, quoniam supra modum persequabar Ecclesiam Dei, et expugnabam illam, et proficiebam in Judaismo supra multos coaetaneos meos in genere meo, abundantius aemulator existens paternarum mearum traditionum:**

Probat quod dixerat, se non accepisse Evangelium ab homine, expositione anteactae vitae suae, et commemoratione sui et erga Ecclesiam odii, et erga Judaeorum religionem studii, quo nullum afferre posset argumentum efficacius. Nam, quod ait Chrysostomus, perspicuum est nulla fieri potuisse humana persuasione, atque arte, ut tam subito ex infesto hoste fieret fidei acerrimus propugnator Paulus, nisi divina accessisset revelatio atque vis. Itaque quo magis ostendat se virtute Christi ad Evangelii fidem et doctrinam translatum, eo exaggerat, et amplificat, quanto antea odio incensus in ecclesiam ferretur, quantoque studio defendendae legis arderet: AUDISTIS, inquit, CONVERSATIONEM MEAM ALIQUANDO IN JUDAISMO. Audistis, ait, quoniam de ipso celebris fama omnes Ecclesias pervaserat, ut nemini fideli ignotum esse posset eorum aliquid, quod ad Pauli anteactam vitam pertineret, CONVERSATIONEM MEAM. Qualis scilicet ipse essem, quid agerem, quarum praecipue rerum studiis tenerer, IN JUDAISMO, nimirum, cum in Judaeorum legibus et religione versarer alienus a fide Christi. Sed quia hoc nimis generale est, subjicit id, ex quo intelligi possit, de quibus suis rebus loquatur, et quarum meminisse illos velit, sic dicens: QUONIAM SUPRA MODUM PERSEQUEBAR ECCLESIAM DEI. Id est,

ut alia mea ignorassetis, at hoc certe cognostis, quam acerbis eorum hostis fuerim, qui in Christo credebant: SUPRA MODUM, inquit. Vel quia majoribus illos afficiebat malis quam ut ferenda essent: vel certe supra modum, quia Judaeos omnes reliquos, quamvis religionis studiosos, in hoc studio Christiani nominis extinguendi Paulus superabat. Itaque non solum jussa faciebat, sed et ipsos accendebat Synagogae principes, et ad acrius insequendos fideles sollicitabat: ET EXPUGNABAM, inquit, ILLAM. Laurentius Valla legit oppugnabam, sed id graecae vocis vim minus declarat. Nam εφορθον, vastare est, et populari, ut fiet urbe capta: et certe Paulus non oppugnabat modo, sed et vastitatem, et direptionem, et excidium ecclesiae inferebat. Haec autem Paulus dicens, tacite argumentatur, idque bifariam. Primo sic: At si, ut constat, totus eram in persequendo Ecclesiam Dei, palam est mihi sic affecto, nec otium fuisse, neque animum Evangelii ediscendi; nemo enim quae odit, et delere cupit, iis addiscendis vacat. Secundo isto modo: At si Judaismi studio Ecclesiam Dei persequabar, perspicuum est, quod nunc legi et Mosaycis ritibus detraho, id non fieri a me, quod Judaeorum religionem odio habuerim aliquando, aut quod leges fuerim aversatus Mosaycas, Ecclesiam odivi potius, ut si quis alius acerrimo odio, alios in carcerem contrudens, aliorum neci consentiens, alios armis pellens, alios e latebris educens, in quas se conjecerant, de quo sic Ananias in Actis (1): Domine audivi de viro hoc quanta mala fecerit sanctis tuis in Hierusalem, et hic habet postestatem a Pontificibus alligandi omnes, qui invocant nomen tuum. Eaque adhuc magis confirmat: ET PROFICIEBAM, inquit, IN JUDAISMO SUPRA OMNES COAETANEOS MEOS. Quasi ita dixisset. Non solum professione Judaeus eram, sed multo etiam magis amore et studio, usque eo ut in cognitione et observantia earum legum,

(1) Act. ix.